



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies
quadraginta**

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

De iustitia legis, & operum in regno Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

De iustitia legis, & operum in regno Christi.

CAP. 40.



Quoniam autem iustitia fidei purgat mentem, & lex & iustitia legis ornat eam, & locupletat operibus bonis, per quam completur hominis iustificatio. Iac. 2. Abraham ex operibus iustificatus est. Opera pretium est enucleare illam iustitiam, quæ est fructus iustitiæ fidei, quæ opponitur peccato actuali, quod à peccato originali, promanat. Ista iustitia est originalis, fluens à fide, & iustitia essentiali, originali, ex secunda natiuitate quæ præcedit, Psal. 85. Iustitia ante eum ambulauit. Ista est iustitia operum precedentium à fide, de quibus Rom. 6. 7. 8. ad Tit. 2. Ephe. 2. Ipsius factura sumus creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in ipsis ambulemus. Si aspiciamus ad opera nostra nuda, serui inutiles sumus, Luc. 17. & acclamandum est. mitte nobis debita nostra, Non intres in iudicium cum seruo tuo. precandum ne opera nostra sine Christo discutiantur, & attollendi sunt oculi ad propitiatorẽ no-

Iac. 2.

Psal. 85.

Rom. 6. 7. 8.

Tit. 2.

Ephes. 2.

Luc. 17.

Matt. 6.

Psal. 142.

Cypr. de immor. anima.

& de Fem.

Ambr. de ssa

ga su. Aug. de natura & grat.

strum Christum. Rom. 3. per quem nos & nostra placemus Deo: Secus enim opera nostra non essent in fide. 1. Corinth. 9. Ego curro, nō quasi in incertum. 2. Pet. 1. Satagite vt per bona opera certam vocationem faciatis. Talia quæ Christo nituntur, habent suam mercedem. Gen. 12. Eccl. 9. 2. Paral. 15. Matth. 16. & 25. 1. Cor. 3. Tales enim qui operantur in Christo, et si ceciderint, non collidentur: cū maximum sit signum electionis bene operari ex fide vsque ad mortem, & exponere lucro talēta Domini; quibus dicet ō bone serue & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam. Matth. 25. Vnusquisque enim donum Dei habet, vt diuerso quidem calle, ad vnum perueniamus finem & quietem, quæ erit finis omnis laboris, vt requiescant à laboribus suis. Apoc. 14. Per istam iustitiam membrorum Christi, quæ est ex operibus hominis iustificati, consummatur iustificatio, quam habemus à capite Christo per fidem. Matth. 3. Sic oportet nos implere omnem iustitiam, & Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & Iacobi 2. Hæc iustitia dicitur nostra, quia cooperamur

1. Cor. 9.

2. Pet. 1.

Gen. 12.

Eccl. 9.

2. Paral. 15.

Mat. 16. 25.

1. Cor. 3.

Matth. 25.

Apoc. 14.

Matth. 3.

Apoc. 22.

Iacob 2.

primæ iustitiæ quam per Christum nacti
 sumus, quæ est conuersatio bona in ope-
 ribus bonis. Primò in mortificatione car-
 nis & concupiscentiæ, Gal. 5. Qui Chri- Gal. 5.
 sti sunt, carnem suam crucifixerunt, vt
 assiduè imminuatur ille fomes peccati la-
 tens in carne. Ad hoc faciunt eleemosi-
 ne, orationes, & ieiunia secundò in cha-
 ritate ad proximum. Tertio in humilitate
 & timore erga Deum. Hæc inquam iu-
 stitia est fructus iustitiæ fidei. Gal. 5. Fru- Gal. 5.
 ctus spiritus id est spiritualis hominis per
 fidem Christi. Ioan. 3. Quod natum est ex Ioan. 3.
 spiritu, spiritus est: id est, spirituale, hæc
 perficit priorem iustitiam, laborat vt de-
 struatur vetus Adam, & corpus peccati,
 odit se, & diligit proximum: non quærit
 quæ sua sunt, sed quæ alterius, 1. Cor. 10. 1. Cor. 10.
 & 13. Primum est crucifixio, secundum cha-
 ritas, & sic viuit, sibi sobriè, iustè proxi-
 mo, & piè Deo: & hoc modo implet Dei
 voluntatem, & fit Christo cõformis: per
 istam nos sumus Christi & nostra, sicut
 per primam dicitur Christus noster, cum
 omnibus suis. Illa opera hominis iustifi-
 cati per Christi iustitiam, sunt arma ad-
 uersus Satanam. Rom. 13. Ideo suscitatur qui Rom. 13.

auocent homines ab operibus bonis lucis, cum ipse sit princeps tenebrarum. Bifariam autem tentamur de bonis operibus: primum de superbia & gloria operum, quibus credimus mereri gratiam & gloriam ex eis tantum, hoc modo alucinati sunt Pharifæi, ignorantes Dei iustitiam, Roma. 10. Per iustitiam legis & operum, etiam sine Christo arbitantes se saluandos, quorum sententiam conuellit vsquequaque Paul. Nam sic gratis Christus esset mortuus. Lex enim seruata non sufficeret, nec quisquam eorum (propter legem carnis sine gratia, quam consecuti sunt per fidem Christi) potuit illam seruare, nec habere remissionem transgressionis legis. Hanc hæresim ceu postliminio resuscitarunt Pelagius & Celestius damnati in concilio Mileuitano & Cartagini. à 218. episcopis. Hoc dogma Pharisaicum & Pelagianum mordicus retinent Iudæi huius temporis. Secundo verò de bonis operibus tentamur quòd nihili apud Deum pendantur, sed sit satis ad salutem credere in Christum, niti eius iustitiæ & operibus, quæ pro nobis exhaustit id est pro prædestinatis

Rom. 10.

quos oves suas appellat. Ioan. 10. & Mat. ^{Ioan. 10.}
 26. hic est sanguis qui pro vobis & pro ^{Matth. 26.}
 multis effundetur. Atqui prædestinati so-
 li Deo sunt noti. 2. Timoth. 3. Cognovit ^{2. Tim. 3.}
 Dominus qui sunt eius. & Ioann. 13. Ego ^{Ioan. 13.}
 scio quos elegerim. Quare non oportet
 hæreticos gloriari quòd Christus egerit
 pro eis bona opera, cum perspicuum sit
 eos non esse electos, qui desciverint ab
 ovili Christi, extra quod omnes sunt ex-
 positi Leonibus & lupis. Ex nobis inquit
 Ioan. prodierunt, sed ex nobis non erant, ^{1. Ioan. 2.}
 si ex nobis fuissent, permansissent utique.
 Oves meas (inquit Christus) Ioan. 10. nō ^{Ioan. 10.}
 rapiat quisquam de manibus meis. Eadē
 autem est manus & Christi & ecclesiæ,
 cum sint vna caro. Ephes. 5. Qui ergo sunt ^{Ephes. 5.}
 egressi ecclesiam catholicam, vnicā, ex-
 tra charitatem quæ est vestis nuptialis,
 expelluntur à Christo, nullam cum eo
 partem habentes. Dicunt enim hæretici
 quod opera nostra nihil meretur, neque
 gratiæ neque gloriæ: & quòd homo ca-
 reat libero arbitrio. Idem sentiētes cum
 Manichæo, quòd sufficiat sola fides. he-
 refis fuit tempore prophetarum Mich. 3. ^{Mich. 3.}
 principes eius. Vide ibi Hieronym. De-

mum renouata à quibusdam Iudæis, di-
 ctis Rabbini, contra quos surrexit alia se-
 cta, dicta Charaim. Tempore etiam Au-
 gust. orta est hæresis ex scriptis eius, con-
 tra quos idem August. in epist. ad Valēt.
 & 14. De fide & operibus. Eundem erro-
 rem reuocauit ab inferis Lutherus, idem
 sentiens cum Eunomio inimico bonorū
 operum, quæ spernebat, dicens quòd qui
 tenerent fidem, quam ille docebat, essent
 salui: quantuncunque peccata commit-
 terent, contra quem scripserūt Basil. Gre-
 gor. Nissen. & Gregor. Nazien. qui etiam
 damnatus. In secunda Synodo Constan-
 tinopolitana. Nota quòd peccatori, qui
 nondum fuit regeneratus Christi baptis-
 mo & sanguine, neque particeps fuit pas-
 sionis Christi, obtrudenda est fides, per
 quam inseratur Christo: sed ei qui fuit lo-
 tus, aliquando eius particeps, spiritu sanc-
 cti templum, persuadenda est pœniten-
 tia. 2. Corint. 7. & 12. Ad hoc enim datur
 fides vt per eam bene operetur. Vnde do-
 ctrina Pauli est primum de fide, secundo
 de bonis operibus, De quibus Rom. 7. 8.
 12. Galat. 6. & Eph. 2. Fides enim quæ per
 charitatem operatur, separat nos fideles

2. Corint. 7.
8. 12.

Roma. 7.
& 12.
Galat. 6.
Eph. 2.

à Dæmonibus. Iacobi 2. Vnde qui Deo Iacob. 2.
 credit, facere debet quod præcepit Deus.
 siquidem per bona opera gratias agimus
 Deo. Ephes. 5. Item glorificatur per illa) Ephes. 5.
 Matth. 5. Propagamus eius gloriam, su- Matth. 5.
 mus exemplo bonorum proximis: illis ali-
 tur fides nostra, sicut operibus malis ob-
 tenebratur. Præterea reddit nos certos 2. Pet. 1.
 electionis nostræ, & vocationis. 2. Petr. 1.
 Ideo bona opera signa sunt quibus expri-
 mimus fidem nostram, cognoscimus nos
 habere spiritum sanctum per fructus spi-
 ritus, & ita filios esse Dei, & hæredes. De-
 mum illa bona opera remunerat primo 2. Cor. 9.
 temporaliter. 2. Cor. 9. 1. Tim. 4. & Luc. 6. 1. Tim. 4.
 Date & dabitur vobis Marci 10. Centu- Luc. 6.
 plum accipiet in hac vita, & in futuro vi- Marc. 10.
 tam æternam possidebit. Vide quomodo
 prouidit in temporalibus Paulo, Eliæ, vi-
 duæ, & sanctis patribus. In eremo item
 remunerat augmento gratiæ, cuius in ba-
 ptismo recepimus primitias: tum etiam
 auctione gloriæ. Mat. 16. & 26. & 1. Cor. 3. Mat. 16. 26.
 Tametsi ius gloriæ per solum Christum 1. Cor. 3.
 cōsequamur, cuius fide gratiam adipisci-
 mur, & per sacramenta fidei, per quam
 sum⁹ filij & hæredes vitæ æternæ. ad Tit. 3. Tit. 3.

R

DE REGNO IESV CHRIS.

Saluos nos fecit per lauacrum regenera-
tionis & renouationis spiritus sancti, vt iu-
stificati gratia, hæredes simus secundum
spem vitæ æternæ per Iesum Christum,
qui est princeps lucis: cuius arma sunt
opera lucis, sine quibus non cognoscit
eos qui gloriantur se esse milites Christi.

Matth. 25.

Matth. 25. Nescio vos, sed eos tantum
qui fide per charitatem operan-
tur, quam nobis concedat
rex noster potentissi-
mus Christus.

Amen.

FINIS.